



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Explanatio In Psalmos**

Complectens primos 25. Psalmos

**Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>**

**Dusseldorpii, [1761]**

**VD18 15558428-001**

Psalmus XXV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53377)



Ψ. 23. *Libera Deus Israel, ex omnibus tribulationibus suis.*

Postquam oraverat satis diu pro se, jam ut princeps, & caput, orat pro toto populo suo, ut populus secum liberetur ab omni genere tribulationum.

---

## PSALMUS XXV.

**T**itulus: *In finem Psalmus David.*

Argumentum idem est, quod Psalmi VII. : *Deum innocentiae suae testem adducit, petitque liberari ab exilio, eo quod nunquam Regnum invadere appetierit.*

Ψ. I. *Judica me Domine, quoniam ego in innocentia mea ingressus sum, & in Domino sperans non infirmabor.*

David cum Rege, nempe Saule, causam habens, Deum, Regem Regum, quodam modo appellat, cum alium in terris appellare non posset. Non finas, Domine, me à Saule judicari, tu sis judex



dex meus: innocenter vixi, nec conscientia, quam tu solus intueris, me reprehendit: in Dei iustitiâ confidens, non deficiam in hoc iudicio, sed prævalebo.

¶. 2. *Proba me Domine, & tenta me, ure renes meos, & cor meum.*

Dixerat, se innocenter vixisse; probat hoc testimonio Dei, qui falli non potest. Inspice intimos recessus cordis mei: ure, examina cogitationes & appetitiones meas, sicut aurum igne examinatur, ut omnibus pateat mea innocentia.

¶. 3. *Quoniam misericordia tua ante oculos meos est, & complacui in veritate tua.*

Dat causam, cur velit probari, & tentari: Semper aspicio, & considero misericordiam tuam, ut eam imiter, & juxta eam cum proximis vivam: placuit mihi veritas tua, & juxta illam ambulavi. Ambulavi itaque per vias tuas, nam omnes viæ tuæ misericordia, & veritas.

¶. 4.



✠. 4. *Non sedi cum concilio vanitatis,  
& cum iniqua gerentibus non intro-  
ibo.*

✠. 5. *Odivi Ecclesiam malignantium,  
& cum impiis non sedebo.*

Dum exulavi apud Regem Philisti-  
norum, abhorruui semper à conventibus  
Gentilium Idololatrarum in suis profanis  
templis. Conventus illos vocat *Concili-  
um vanitatis*, quia nihil inanius idolis,  
quæ sunt falsæ imagines. Idem Idolo-  
latræ rectè dicuntur iniqua agentes, quia  
summa iniquitas est, cultum soli Deo  
debitum rebus creatis exhibere.

✠. 6. *Lavabo inter innocentes manus  
meas, & circumdabo altare tuum  
Domine.*

Redux ab exilio, lavabo (ritu He-  
bræorum, qui ante ingressum Taberna-  
culi tum se, tum hostias purificabant)  
manus in signum puritatis internæ, sicu-  
ti innocentes faciunt, & cum psallenti-  
bus circuibo altare, sive ero inter cho-  
ros canentium in circuitu altaris.



ψ. 7. *Ut audiam vocem laudis, & enarrem universa mirabilia tua.*

Ideo circumdabo altare, ut choris canentium immistus, audiam laudes Domini, & ipse eas canam.

ψ. 8. *Domine dilexi decorem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ.*

Ostendit, vel ex hoc maximè sibi molestum fuisse exilium, quòd tabernaculum Domini videre non poterat. animus enim amore Dei vehementer incensus, nihil pulcrius in terris iudicat eo loco, in quo præsentia Domini clariùs se ostendit. Vocatur autem tabernaculum, in quo erat arca fœderis, *domus Dei, & locus habitationis gloriæ ejus*, quoniam sæpe in eum locum descendebat nubes lucida, in signum præsentia Dei; & quia in eodem loco erat oraculum, ex quo Deus responsa dare solitus erat.

ψ. 9. *Ne perdas cum impiis Deus animam meam, & cum viris sanguinum vitam meam.*

Quo-



Quoniam Deum Judicem initio appellavit, & innocentiam suam, cujus idem Deus testis erat, exposuit, concludit, orans, ut pro se sententia proferatur: non me condemnes, quemadmodum impios condemnare soles. *Animam* posuit, ut sæpe aliàs, pro vitâ, sive pro totâ personâ suâ; per *Viros Sanguinum* intellige homicidas, quales erant, qui eum persequebantur.

¶. 10. *In quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus.*

Declarat qui sint impij, & viri sanguinum; ii scilicet, qui perversè judicant ob accepta munera. Pulchrè in eâ parte corporis ponit iniquitatem, per quam accipiuntur munera, ut ostendat acceptationem munerum causam fuisse iniquitatis.

¶. 11. *Ego autem in innocentia meâ ingressus sum, redime me, et miserere mei.*

Repetit causam, cur non debeat condemnari cum impiis, quia scilicet innocenter vixerit. *Redime me* &c. libera me à præsentî calamitate, & deinceps miserere mei,



mei, ne iterum in eandem incidam. *Redimere* pro *liberare* passim in scripturis est, h. e. species pro genere; nisi forte Spiritus Sanctus insinuare voluerit, omnem liberationem electorum de quâcunque tribulatione, dici posse redemptionem, quia pretio sanguinis Christi, nostri redemptoris acquiritur.

ψ. 12. *Pes meus stetit in directo, in Ecclesiis benedicam te Domine.*

Jam petii liberationem à præsentī calamitate, quia innocenter vixi; peto etiam, ut miserearis in futurum, quia *pes meus stetit*, h. e. stabilitus, ac fixus est in rectitudine, ac per hoc non facilè recedam à recto itinere legis tuæ; & pro gratiarum actione *benedicam*, & laudabo *te* hymnis, & Psalmis *in Ecclesiis*, h. e. in piorum conventibus. Est autem hæc, ut Euthymius notat, prophetia, quòd revera tempore novi Testamenti, in omnibus Ecclesiis, Psalmi Davidici assiduè concinendi essent.



*Errata.*